



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CHRISTO CAPITE|| TOTIVS ECCLESIAE,|| QVINQVE LIBRIS|| explicata.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XIII. Explicatur locus obscurissimus ex epistola prima sancti Petri, capite tertio & quarto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53845](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-53845)

## CAP V T XIII.

*Explicatur locus obscurissimus ex epistola  
I. S. Petri cap. 3. & 4.*

**G**EA Scripturæ testimonia, quibus probatur descensus Christi ad inferos, pertinet etiam locus illæ S. Petri: *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu, in quo his qui in carcere erant spiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noë.* I. Pet. 3. Cui loco videtur iungendus alius ex cap. 4. Ideo & mortuis prædicatum est Euāgelium, ut indiscerent quidem secundum hominem in carne, viviant autem secundum Deum in spiritu. Ut autem hic locus, qui semper obscurissimus habitus est, intelligatur, tres expositiones discutiendæ sunt.

PRIMA expositio est S. Avgvsti n*i* epist. 99. ad Eudiu[m], quem sequitur Beda. Sic Augustinus exponit, ut per spiritus in carcere constitutos intelligat homines qui erant tempore Noë, quorum animæ erat in corpore mortalitanam in carcere; est enim corpus tanquam carcer animæ; ac dicit Christum non secundum humanitatem, quam nondum assumperat, sed secundum Deitatem prædicasse per internam inspirationem, aut per linguam Noë illis hominibus, qui tamen increduli fuerunt; Itaque non vult Augustinus hunc locum ad inferos pertinere.

Hanc expositionem nō refutarem, si ipsi Augustino placet omnino; sed ipse met fatetur se hunc locum non intellexisse, & rogat, ut queratur ratio, quomodo possit hic locus ad inferos pertinere. Ipso igitur non solum permittente, sed etiam cupiente Augustino, hanc expositionem primam breuiter refellemus. PRIMO, non placet hæc sententia, quia communis Patrum est in contrarium. nam Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum, ante medium. Athanasius epist. ad Epictetum, & lib. de incarnatione, qui incipit, *Mos p[ro]p[ter]i ho-*  
*minis*, Epiphanius hæres. 77. Cyrillus libro de recta fidè ad Theodosium, & lib. 12. in Ioannem, cap. 36. HILARIVS in Psalm.

Psalm. 118. in illud: Defecerunt oculi mei in eloquium tuum dicentes; Quando consolaberis me? Ambrosius in capitulo 10. ad Romanos. Ruffinus in expositione Symboli. Occumenius in hunc locum Petri, exponunt de descensu Christi ad inferos, vbi spiritus defunctorum degere existimabant.

Præterea IUSTINVS in Dialogo cum Triphone, & Irenæus lib. 3. cap. 23. citant verba quædam Isaiae, quæ modò non inveniuntur, simillima istis verbis S. Petri, ut credibile sit inde

*Idem S. Iustini Jer-*  
*mia 2. Entrauit Christ-*  
*rus est Dominus sanctus Israël mortuorum suorum, qui dor-*  
*mierant in terra sepulctionis, Et descendit ad eos euangelizare*  
*salutem, quæ est ab eo, ut saluaret eos.*

SECUNDО, non probatur ea sententia, quia dicitur Christus profectus spiritu ad prædicandum spiritibus. Id enim refert illud, in quo, nimirum spiritu veniens, &c. at spiritus, qui hic distinguitur contra carnem, non videtur posse significare aliud quam animam; non ergo sola diuinitate, sed etiam anima Dominus ad prædicandum spiritibus profectus est.

S. AVGUSTINVS ex hac ipsa ratione dicit, se moueri ad hoc, ut non intelligat per hunc spiritum animam Christi. Nam cum dicitur (*viuificatus autem spiritu*) si spiritus significaret animam, sequeretur aliquando animam Christi mortuam fuisse, nihil enim viuificatur nisi quod mortuum est. Vult igitur ipse sensum esse, Christum mortificatum fuisse carnem, quia secundum carnem mortuus est, & viuificatus spiritu, quia virtute spiritus Dei excitatus est à mortuis.

Sed hæc ratio non concludit, nam in Scriptura passim dicitur viuificari id quod non occiditur. 1. Reg. 27. Virum mulierem non viuificabat David, id est, non relinquebat eum, & 2. Reg. 8. dicitur: *David extendisse duos funiculos super Moab, unum ad occidendum, unum ad viuificantum, id est, definiuisse quot ex Moabitibus vellet occidi, quot seruati.* Et Act. 7. *Afflixit Patres nostros ut exponerent infantes suos ne vnum omnes.* Vult ergo S. Petrus dicere, Christum carnem mortificatum, spiritu viuificatum in passione, quia caro mortua mansit, anima vero non potuit occidi, sed mansit viuans & operans, ac triumphans de inferno.

TERZO,

TER TIO, non placet ea sententia, quia illud; *Veniens prædicauit*, si de anima intelligatur, propriè accipi poterit. ve-  
rè enim venit ad locum, ubi non erat, at si de diuinitate, non  
potest accipi, nisi impropriè. Præterea verbum in Græco est  
τογενδεῖς, id est, profectus, quod idem repetitur paulò in-  
frā, cùm dicitur, profectus in cœlum, &c. at in hoc secundo  
loco accipitur propriè, ergo & in primo.

QVARTO, quia per spiritus qui in carcere erant, non vi-  
detur posse intelligi homines viuentes, nisi de industria san-  
ctus Petrus affectauerit improprietatem, & obscuritatem: ac  
certè quando habemus sensum proprium & facile, non licet  
singere tropos. Adde, quod cap. 4. de iisdem loquens Petrus  
dicit: *Ideo enim & mortuis prædicatū est Euangelium*. Et li-  
cet AVGVSTINV S per mortuos intelligi velit mortuos in  
peccatis, quia tamen viuant in corporibus, tamen videtur ob-  
stare præcedens sententia; nam dicit: *Reddens rationem ei,*  
*qui paratus est iudicare viuos & mortuos, ideo enim & mor-*  
*tuis prædicatum est*. At cùm dicimus Christum esse Iudicē vi-  
uorum & mortuorum, intelligimus ad literā, quod iudica-  
bit eos qui viuunt, & eos qui mortui sunt verè & propriè, ut  
idem Augustinus docet in Enchirid. cap. 55. Igitur veris mor-  
tuis Christus prædicauit, id est, ad veros inferos descendit.

QVINTO, si hic locus intelligatur de prædicatione facta  
in diebus Noë, nō apparet quo slum hic sit inserta ista narra-  
tio. Quomodo enim ista cohærent, Christus in passione sua  
carne mortuus est, spiritu viuus mansit, ideo Deus olim præ-  
dicauit hominibus per Noë? At si intelligamus de descensu  
ad inferos, omnia cohærent, nam volens Petrus ostendere  
Christum in passione, & morte mansisse viuum, quoad ani-  
mam, probat, quia illo tempore anima eius profecta est in  
infernum, & prædicauit spiritibus in carcere conclusis.

Sed obiicit AVGVSTINV S, quia non videtur ratio cur præ-  
dicauerit solum iis, qui increduli fuerūt tempore Noë, cùm  
tam multi alij essent in inferno. Item, quia videtur absurdū  
valde, quod Christus prædicauerit in inferno; Videtur enim  
inde sequi, ut debeat etiam in inferno constitui Ecclesia, ubi  
conuertantur, & reconcilientur animæ. Id autem absurdum  
sequi ex nostra sententia, probat Augustinus, quia sinus

Abraæ

Abraæ, vbi erant omnes iusti, non videtur fuisse in inferno, sed ab inferno remotissimus, cùm esset chaos magnum inter diuitem inferni colonum, & Lazarum habitatorem sinus Abraæ. ergo si hic locus de descensu ad inferos intelligitur, Christus solis peccatoribus prædicavit: at non prædicavit frustrà, nec sine fructu, ergo aliquos conuertit. At hoc nullo modo est asserendum; ergo præstat hunc locum non intelligere de descensu ad inferos. Et hæc est potissima difficultas, quæ Augustinum à communi sententia recedere coegerit. Timuit enim, ne cogeretur admittere conuersionem, & reconciliationem spirituum damnatorum.

Respondeo, PRIMAM obiectionem posse retorqueti, nam etiam non appetet ratio, cur dicat Petrus, Christum in diebus Noë prædicasse potius, quam in diebus Abraam, & aliorum Patriarcharum, vel etiam aliorum omnium hominum.

Dico præterea, Christum prædicasse in inferno omnibus bonis spiritibus, sed nominatim fuisse expressos illos, qui fuerunt in diebus Noë increduli, quia de illis erat maius dubium, an essent salui nec ne, cùm puniti fuerint à Deo, & submersi aquis diluuij. Indicat ergo hic Petrus etiam ex illis incredulis fuisse aliquos, qui etiam in fine vita presentiam egerint, & licet quantum ad corpus perierint, tamen quantum ad animam salui fuerint; quod etiam Hieronymus docet in questionibus Hebraicis in Genes. utr. illud, cap. 6. *Non permanebit spiritus meus in homine, &c.* Vbi dicit Deum puniuisse multos eorum temporaliter aquis diluuij, ne deberet eos punire in gehenna in eternum. Et hunc etiam sensum videntur facere illa verba cap.

4. Ideo mortuis prædicatum est Euangelium, Et iudicentur quidem secundum homines in carne, vivant autem secundum Deum spiritu, id est, ut secundum homines exterius iudicentur carne, id est, damnati existimentur humano iudicio, quia corpora eorum aquis necata fuerunt, tamen vivant spiritu secundum Deum, id est, animæ eorum saluæ finit apud Deum.

Ad SECUNDAM dico, ipsum Augustinum postea cognouisse sinum Abraæ fuisse in inferno, vt patet ex tractatu in Psalm. 85. & lib. 20. de ciuit. cap. 15. quæ sententia est omnium

nium Patrum, & totius Ecclesiae. Dico igitur, prædicatio-  
nem Christi in inferno, non fuisse ad conuertendos infide-  
les, sed fuisse solum ad annunciationem gaudij magni piis  
animabus: quibus annunciauit completam esse redemptio-  
nem, ut intelligerent se iam inde liberandas, & tempore  
suo etiam corpora recepturas. Atque hæc de expositione  
sancti Augustini, quam refutauimus, sequuti mentem eius,  
non verba.

**S E C V N D A** expositio est BEZAE in annotationibus ad  
eum locum, vbi sic exponit, Christus in spiritu, id est, diuini-  
tate, veniens prædicauit spiritibus in carcere, id est, spiriti-  
bus, qui nunc sunt in carcere inferni, sed tunc quādo eis pre-  
dicabatur, non in carcere, sed in corpore erant, quādo vide-  
licet siebat arca Noë. Hanc expositionem ita iactat Beza in  
defensione suæ versionis contra Castalionem, ut propter illā  
dicat sibi corām, & per literas à multis gratias actas.

At hæc non differt ab illa S. Augustini nisi in tribus. **P R I-**  
**M O**, quod Augustinus suam proponit ut dubiam, & quæ te-  
neatur donec melior non inuenitur: Beza suam vult esse cer-  
tissimam. **S E C V N D O**, quod Augustinus seruat textum, ut  
inuenit à maioribus scriptum: Beza pro sua audacia mutat,  
& vbi nos habemus; *Qui in carcere erant, ipse vult legi, qui*  
*in carcere sunt.* Et licet in Græco nullum sit verbum, tamen  
omnes Latini hactenus legerunt, *erant*; & Græci, quos cita-  
vimus, exponunt, *erant*; non autem, *sunt*. Siquidem eos vo-  
lunt à Christo liberatos de carcere; non potuit autem verè  
dici tēpore Petri de illis spiritibus, eos tunc in carcere fuisse.  
**T E R T I O**, quod Augustinus per carcerem intellexit corpus  
mortale: Beza intelligit infernum, id quod pro nobis est. Ita-  
que sententia Bezæ, quatenus differt ab illa sancti Augusti-  
ni, non eget refutatione, quia pro nobis est. quatenus cum  
illa conuenit, iam refutata est.

Argumenta quoq; ipsius, ex dictis omnia facile soluūtur.  
**P R I M U M** obiicit. quia dicitur Christus in spiritu venisse.  
**R E S P O N D E O**, iam ostendimus, hoc loco spiritum signifi-  
care animam. **S E C V N D O**, quia tantum fit mentio incredu-  
lorum, quibus nihil profuisset descensus ad inferos. **R E S P O N D E O**, iam diximus, illos quōdam incredulos fuisse,  
sed postea conversos ad Deum & pīe mortuos. **T E R T I O**  
B b obiicit

obiicit, quia nihil h̄ic dicitur de liberatione animarum. RESPONDEO, prædicationem Christi nihil fuisse aliud, quam nuncium liberationis. QUARTO obiicit, absurdum esse mortuis prædicare, qui non possunt cōuerteri. RESPONDĘ, non esse prædicatum ut conuerterentur imp̄i, sed gauderent animæ piorum.

TERTIA expositio est CALVINI lib. 2. Instit. cap. 16. §. 9.  
& in psychopannychia, vbi dicit, ex sententia Petri Chirchii  
prædicasse spiritibus defunctorum & bonis & malis, non  
quod ad eos venerit per animæ præsentiam, sed quod effe-  
cerit, ut sentirent effectum passionis & mortis sua, & boni  
quidem gaudium reciperent, mali mœrem.

Et quia poterat aliquis dicere, quomodo animæ piorum  
dicantur esse in carcere, cūm per Calvinum semper fuerint  
in cœlo? Respondeo illud (*in carcere*) debuisse verti, in spe-  
cula; nam vox Græca φυλακῆ, significat tam carcere, quam  
etiam vigiliam, obseruationem, excubias. Itaque animæ  
piorum dicuntur fuisse in specula, quia erant in continua  
exspectatione passionis Christi. Addit præterea, posse etiam  
dici eas fuisse in carcere, quia veluti sub nube, & rimbra-  
minus lucem prospiciebant, ita ut illa exspectatio carcere di-  
ci posset.

Hanc explicationem dicit Calvinus talem esse, ut pland  
confidat se bonis omnibus persuasurum. At falsus Propheta  
fuit; nam ne suo quidem vicino, atque addictissimo sibi, ac  
successori Beza persuasit. Si quidem Calvinus per spiritum  
intelligit efficaciam; Beza diuinitatem. Calvinus per carce-  
rem, speculam cœlestem; Beza custodiām infernalem. Calvi-  
nus per (*spiritus in carcere*) animas piorum; Beza animas  
damnatorū. Calvinus vult, hoc esse factum in morte Chi-  
sti; Beza tempore Noë. Vel ergo Beza non est vir bonus, vel  
Calvinus non persuasit omnibus bonis.

Sed his omissis, expositio Calvini facile refelli potest.  
PRIMUM enim per spiritum non potest intelligi efficaciam,  
sed animam; tum quia h̄ic distinguatur contra carnem, tan-  
quam contra alteram partem eiusdem compositi; tum eni-  
lud (profecitus) notat mutationem personæ de loco ad lo-  
cum.

SECUNDUM

SECUND O falsum est φυλακὴν, significare speculam in eo sensu, quem Caluinus intendit; nam φυλακὴ, propriè custodiam significat, à verbo φυλάττω, quod est custodio, obseruo, &c. & inde traducitur ad significanda omnia, quæ ad custodiam & tutelam pertinent, qualia sunt carceres, excubiae, vigiliae, &c. at non potest significare simplicem exspectationem, seu vigiliam, quæ non referatur ad custodianum, nec facilè inueniet Caluinus aliquod exemplum in bonis auctoribus pro hac specula sua.

Quod autem dicit, exspectationem in umbra posse dici carcetrem, ridiculū est. Nam hoc modo nocturno tempore, dum exspectamus diem, omnes essemus in carcere: & preterea animæ piorum, etiamsi subobscurè prospicerent Christum, tamen multa alia perspicue cernebant, & absolute in lumine erant. Immò vero, quo pacto Caluinī sententia dici poterant esse in tenebris, vel in carcere, si in cœlo erant? quis enim capiat, in cœlo esse tenebras & carcetrem?

TERTIO Caluinī sententia seipsum destruit, nam ipse duo dicit. PRIMO, spiritus in carcere esse animas piorum exspectantes Christum, & istis Christum annunciasse gaudium. SECUND O, dicit Christum terruisse sua prædicatione animas impiorum, & hoc significari illis verbis: *Qui increduli fuerunt aliquando cùm fabricaretur arca.* At Petrus de iisdem loquitur. sic enim ait: *Spiritus qui in carcere erant veniens prædicauit, qui increduli fuerunt aliquando,* &c. Et in Græco est participium ἀπειδόντος, inobedientibus seu nō credentibus. Oportet igitur in eo carcere fuisse spiritus illos aliquando inobedientes; & si isti sunt spiritus impiorum, oportet necessariò vel spiritus impiorum fuisse in specula cœlesti, vel illud φυλακὴν, non speculam, sed carcetrem significare.

VLTIMO accedit, quod hæc est sententia singularis & contraria omnibus veteribus. Maneat igitur sententia Patrum, quæ docet, Christum in carcere inferni sanctis Patribus prædicasse.